

Eximio Viro-Juveni Dn. Melzero

S. P.

**S**I quid *Melzere* *præstantissime*, divinare valeo, *dissertatio* hæc tua de *Hermundurorum Metallurgiâ argentaria* ob argumenti novitatem haut dubie multorum subibit censuras. Nam qui artis metallicæ peritiores sunt, forte in eâ invenient, quæ eidem non satis congruere videntur. Alii quibus nulla, aut exigua τῆς μεταλλουργίας cognitio, aut contemnent hocce argumentum, ut rem ignotam, aut cathedrâ indignum judicabunt. *Illos* ut artis dictæ magistros audire atque ab iisdem rectiora discere *Tibi* gloriosum duxeris; ita horum rationes vicissim negligere, consultum erit; cum solenne sit certo hominum generi, omne id fastidire, aut perstringere, quod ab ipso profectum non est. Qui verò æquitatem amant, non poterunt non institutum hocce tuum favore suo prosequi. Nam diligentia tua, quâ in colligendis rebus ad metallurgiam pertinentibus usus es singulari, eo majorem laudem apud æquos rerum judices habebit; quò pauciores ante Te hanc tractationem occuparunt. Præsertim cum nostræ communis patriæ amore inductus, multa, quæ laudem ejus adaugent, conscripseris. Igitur vel hoc solo nomine nostros *HERMUNDUROS*, viros antiqua fide & probitate insignes, *Tibi* devincies, quod cum metallurgia ipsorum simul virtutes ac operas, ut merentur, deprædicare non omiseris. Macte hæc tua iudustria ac studiò erga *HERMUNDUROS*, ipsi qua sunt æquitate, aliquando hancce operam tuam pensare non prætermittent. Præcipuè si divinæ sapientiæ incubueris atque Ecclesiæ ministerio porrò Te benè præparaveris, ut in Te alterum *Matthesium* habere possint. ita auguror & precor ex animo.  
Lipsiæ XXIII. Jan. MDC LXXX.

Tuus

*Sincero affectu & officio*

A. Rechenberg.

FINIS.